

Jus Naturæ In Compendio

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1723]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002665132>

Druck Freier  Zugang



RU phil. 24.Juli 1723
Mantzel, Ern.Joh.Frid.

Q. D. B. V.

JUS NATURÆ IN COMPENDIO,

IN ILLUSTRİ ACADĒMIA AD
VARNUM,

Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ,

PRÆSIDE

FRATRE GERMANO,

ERN. JOH. FRID.

M A S S S S /

J. U. ET PHIL. DOCTORE ET MORALIUM
PROFESS. ORDIN.


d. 24. Julii, Anno MDCCXXIII.

benevole dissentientium
censuræ subjiçiet,

CHRISTIANUS ANTONIUS

M A N Z E R /

Jörd. Mecklenb.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Amplissimi Senatus
Typographi.

1723

VIRO
PLURIMUM REVERENDO, & RE-
LIGIOSISSIMO

DN. CASPARO

Scanzel,

Ecclesiæ, quæ Christo colligitur
Jordensdorffii, Pastori per mul-
tos jam annos fidelissimo,
meritissimo.

PARENTI SUO

Omni animi reverentia & pietate
colendo,

HANC DISSERTATIONEM,
ut tenuem filialis venerationis tesseram
dat, dicat, dedicat,

PAR FILIORUM

PRÆSES ET RESPONDENS.

VIR

VIR PLURIMUM
REVERENDE,
PARENS COLENDISSIME!




fferimus tibi in præ-
sentiarum hanc tenu-
em nostram opellam,
certe persuasi, te e-
andem serena fronte
accepturum : Conjunximus nos
Parens indulgentissime! in disputatio-
ne academica publice ventilanda,
& quoniam ex dedicatione aliis fa-
cienda nullum captamus lucrum,
plena obligatione ad te nos verti-
mus.

mus. Nemo etenim te majus ha-
bet jus in nostra qualiacunque stu-
dia, siquidem ad annos academicos
usque, a tuo pependimus ore,
adeo ut illam felicitatem ad urnam
usque toto ex pectore magni face-
re teneamur. Accipias igitur pa-
pyraceum hoc redhostimentum
pro tuis cumulatissimis in nos
meritis, & patiaris nos id inde re-
portare lucri auro pretiosioris,
quod perpetuis tuis precibus & fa-
vori tuo simus commendatissimi.
Nostrum erit a DEO T. O. M. inde-
fessis efflagitare suspiriis, ut in ec-
clesiæ tuæ salutem, nostræ fami-
liæ & præsertim nostrum commo-
dum te in seros conservet annos.
Vale faveque

Tuis obsequiosissimis

FILIIS.



CAPUT I.

De Jure Naturæ in genere, Conditione Hominis & fontibus actionum huma- narum, indeque fluente im- putatione.

I.



Homo, omnia quæ circa, supra & infra se ha-
bet, considerans, sentit omnino intra se ali-
quod singulare, & a brutorum conditione
alienum, vi cujus omnia sensibus percepta
impense sibi finit esse grata; Porro stimula-
tur aliqua interna curiositate & cupidine sci-
endi, unde illa omnia ortum suum traxerint; & dum ita medi-
tatur, percipit, omnia tam egregie esse comparata, ut idem &
simile quidquam facere vires tenuitatis suæ suorumque æquali-
um, omnino excedat. Progreditur cogitando, & judicat,
auctorem universi haud particulam istius esse posse, quia alias
iterum cura emergeret, unde demum & ille prodierit? Qua-
propter indubitato concludit: Dari aliquod incomprehensibile,
extra, citra ac præter hoc universum, carens autore & origine.

II. Hucusque dum pervenit, intra se vertitur, &
agnoscit, prouti jam diximus, nullam creaturam sibi perfectio-

A

ne

(o)

ne similem esse, argumentatur itaque: Numen, sive illud incomprehensibile, omnia in hominis utilitatem fecisse, ut illis uteretur ad acquirendam & ad finem vitæ possidendam felicitatem.

III. Hæc cognitio atque confessio Jus Naturæ audit, quod est: *Sanum iudicium, ex sana ratione, a summo Creatore mortali indita, deductum; vi cuius confitetur: Dari aliquod summum Numen; & dijudicat, quid faciendum, quidve omittendum sit, ad conciliandam & conservandam in hac vita felicitatem.*

IV. Dari itaque istiusmodi Jus Naturæ, satis ad oculum patet, ex indagatione ipsius conditionis humanæ, ejusque debilitatis, factum enim eundem eapropter reputare debemus, ut insitum suæ rationis vigorem ad felicitatem suam applicet atque impendat: illud autem absque certa norma fieri non posse, evidentissimum est.

V. Ex quibus ultrò fluit, solum DEum esse J. N. autorem, quippe qui admirabili quadam ratione fecit hominem, & qui tanquam fons & origo omnium rerum eapropter & gaudet potestate legislatoria, dandi nimirum Leges universales, omnes omnino obligantes.

VI. Si autem Lex talis est, quæ ab opifice omnium mortalium iisdem simul in- & concreata; sequitur, quod omnibus naturâ insit, ut nemo hic excipiat, nec quisquam se promulgatione non facta excusare queat, eo minus, quia Leges naturæ adeo faciles sunt, ut unicuique sanæ mentis & qui primos infantix annos excessit, satis appareant.

VII. Imò ex descriptione allata, satis patet, finem J. N. præter summum, qui est gloria DEI, esse felicitatem hujus seculi, quæ potissimum constituitur in securitate a nocentibus, corporis & animi sanitate, sufficientia victus & amictus & amicitia cum omnibus civibus, quantum honeste iniri potest. Omnia igitur quæ huc faciunt sunt J. Naturæ bona; Quæ vero hæc destruunt, J. N. prohibita sunt.

VIII. Quæ ad eum finem faciunt media, etiam ex ipsa descriptione sunt elicienda, nimirum omissio vere nocivorum, & apprehensio vere salutarium.

IX.

IX. Utrum autem possit constitui principium aliquod J. N. universale, verum, evidens & adæquatum? dubium est, quod tot viros eruditissimos acriter exercuit, & exercebit; Unde tot variantes sententiæ, quot capita: Linqumus unicuique suam, & neminem taxamus: Liceat tamen, nostram explicasse mentem, quod statuamus scilicet: (si quid hac in causa determinari licet) principium Juris Naturæ hanc regulam esse: *Ita actionem tuam ope sana rationis institue, ut coram supremo, publicam salutem defendente, & interno judice, si de ea quesitus fueris, dicere queas, eandem non fuisse adversus summum numen ingrati, civium tuorum saluti officientem & propriam tranquillitatem turbantem.*

X. Non multis ambagibus demonstrabimus, hoc nostrum principium esse verum, adæquatum, evidens & universale; siquidem nemini istud obtrudemus, qui non liquido evidentiam cognoscere vult vel potest.

XI. Ab hætenus satis luculenter descripto Jure Naturæ, Jus Gentium haudquaquam ita differt, ut specialem exposulet tractationem; In fundamentis enim unum idemque est cum J. N. Quod autem speciales quosdam gentium mores attinet, illos nomen Juris aut Legis mereri nemo unquam cum fundamento asseret.

XII. Jus Naturæ hucusque ex origine sua deductum, est fundamentum omnis Jurisprudentiæ, & non datur Lex, cuius non possit afferri ratio J. N. imò si quædam daretur ratione carens, exculpanda esset.

XIII. Quapropter J. N. est Studioso Juris & Politices utilissimum & summe necessarium.

XIV. Vi enim ejus, non solum probe de omni re sentire & judicare potest; Sed &, quod maximum, omnium a veneranda antiquitate statutorum, quæ hodie usu servantur, reddere rationem in quo præcipuum pondus Jurisprudentiæ hæret, dicere nimirum posse, non solum Imperatores & viros prudentes hanc vel illam Legem sancivisse; sed hanc earundem Legum rationem esse.

XV. Hoc J. N. est immutabile, adeo ut id, quod semel
A 2
justum,

justum, semper maneat justum; quod semel iniquum, semper maneat iniquum; Et si quædam hic orta fuerit opinionum diversitas, hoc soli judicantis oscitantia sit tribuendum.

XVI. Imò nec ipse DEus J. N. unquam mutabit, quatenus Lex est, quia hoc idem esset, ac destruere id, quod semel conclusum, h. e. felicitatem humani generis pessundare.

XVII. Proba tamen ratio habenda est collisionis duorum præceptorum J. N. de qua materia infra.

XVIII. Jam, hisce præmissis generalibus, agendum erit de conditione hominis: Est autem homo animal præstantissimum, siquidem admirabilia satis possidet, quibus distinguitur a brutis, utut varia cum iisdem habeat communia.

XIX. Quæ homini cum brutis communia sunt, consistunt potissimum in studio semetipsum non solum admirabili modo propagandi, sed & conservandi; Quæ conservatio fit exquisita sollicitudine circa alimenta quærenda, & studiosa defensione adversus læsuros & potissimum vitam erepturos, quo ipso demonstrant, nullum animal non abhorrere sui destructionem. An autem bruta lædentes diuturno prosequantur odio, ceu aliqui putarunt, non omni dubio carere existimamus. Sicut & hoc:

XX. An naturalibus bruta homines multum antecellant; Quod quia tantum temporis non exigunt ad perfectionem suam ac homines & brevi a nativitate interstitio sibi ipsis de victu prospiciunt; cum contra homines per multos annos, absque alieno auxilio vivere haud possunt, quidam asserere studuerunt. Quorum & hoc est:

XXI. Etiam in moralibus quibusdam bruta præstare hominibus; Quia putant illa non tantam sentire nocendi proclivitatem, nisi adversus irritantes; Raro ultra satietatem alimenta capere; Luxui ornatus non indulgere; Vanæ gloriæ calcare haud stimulari. Nec tandem fraudibus & calumniis semet invicem lædere, eò minus quoniam a simulatione credunt ipsa plane esse aliena, & fere in singulis individuis æqualia; Quod tamen audacter cum istis asserere non audeamus.

XXII. Quicquid enia hujus rei sit; Hæ quales quantave

tæve speciosæ & imaginariæ etiam sint prærogativæ ; tamen homo longè exstantioribus instructus est, gaudens nimirum admirando *intellectu*, seu facultate, rem aliquam sibi concipiendi deque eadem ratiocinandi sive cogitandi.

XXIII. Et *Voluntate*, seu facultate, aliquid, post intellectus dijudicationem cupiendi vel averfandi. Quæ tamen toto cælo distat ob appetitu brutorum, quæ impetu quodam naturali in aliquid feruntur, adeo ut actum differre in quem prolapsa sunt, aut corrigere, non queant, nisi vi externa impediatur; multo minus suscipiendum proprio motu omittere.

XXIV. Ubinam autem harum facultatum separata sedes sit in corpore humano, nostra non est quæstio.

XXV. Intellectus judicia de aliqua re, *rationem* appellamus, quæ nihil aliud est, quam sincera animi de alicujus rei bonitate vel malitia testificatio.

XXVI. Hæc sana ratio ex intentione creatoris omnibus hominibus perfecte inest, eum in finem, ut probe dignoscant quid agendum vel omittendum, & rarissime semet ignorantia invicibili excusare queant.

XXVII. Intellectus coactioni non potest subjici, ut res aliter sibi concipiat, ac sunt; aliter sentiat, ac ipsa veritas postulat.

XXIIX. Quapropter injustum est cogere quendam ad certam religionem: quamvis Magistratus possit incredulos in sua Republica cogere ut interdum audiant prædicationem verbi.

XXIX. Tenetur autem quilibet in veritatem rei inquirere ad ultimum usque punctum. Et sapientis est, ope intellectus de re dicenda, facienda vel averfanda sobrie judicare, perque Media finem semel caute & circumspecte electum, honestissimè quærere.

XXX. Et hoc propria virtute fieri debet, unde *præjudicia* cane pejus & angue sunt fugienda, quoniam ex illis tanquam fontibus actionum nostrarum, non nisi insanæ orientur.

XXXI. Imo Humanum est, & quidem omnium

hominum propria virtute cognoscere posse, quid justum, quidve iniquum; quamobrem alienis oculis solum videre velle, imprudentissimum esset.

XXXII. Ad cognoscendum sibi sumpta aliqua re secundum hoc regularum præscriptum, oritur apud nos *Conscientia*, quæ est vel *Certa*, sc. actionem esse atque omni exceptione bonam, vel malam persuadens.

XXXIII. Vel *Claudicans*, motivas in utramque partem inveniens, qua existente actio differenda, donec veritas elucescat.

XXXIV. Nec alios cæco impetu imitari licet, quia *Probabilismus moralis* monstrum est.

XXXV. *Conscientia Claudicans*, licet de aliqua re oritur, permanere tamen haud potest, quia omnis veritas moralis est pervestigabilis. Si autem præter opinionem permanserit fortean pro subjecti incapacitate, in dubio tutius eligendum est.

XXXVI. In Indifferentibus autem suscipiendis non semper est fluctuandum, sed tantummodo serio deliberandum, quid statuendum sit semel. A semel autem statuto non facile est recedendum.

XXXVII. In Concurso duorum malorum moralium, id quod convenientissimum nostræ conservationi, suscipiendum est. Fons enim agendi, qui est *Necessitas*, ab omni imputatione immunis est, modo satis ardua eadem fuerit.

XXXVIII. Quapropter moderamen inculpatæ tutelæ licitum; Pater Patriæ & filii in vasor, occidi potest; Tempore famis furari, socios mactare, & liberos vendere licet; &c. de quibus adhuc fusius infra.

XXXIX. Nam omnes leges tempore necessitatis filere præsumuntur.

XL. Præter Conscientiam certam & claudicantem adhuc memorari solet *scrupulosa*, illa autem oritur vel ex oscitantia iudicii, quæ discutienda; vel ex sanguine melancholico, qui per venæ sectionem emittendus est.

XLI. Quando res plane fugit intellectum, tunc oritur *Ignorantia*, quæ est vel *vincibilis*, vel *invincibilis*.

XLI.

XLII. Vincibilis non omni dispensatione digna est.

XLIII. Et quidem Ignorantia Juris Naturæ scilicet nobiscum natorum, neminem excusat; & omnia quæ imprudenter suscepta aliquali minimum puniuntur pœna.

XLIV. Ignorantia invincibilis citra omnem culpam nihil obest, nec obesse potest, quia nemo tenetur ultra vires hominis. Ex hac igitur profuentes actiones in foro a pœna sunt merito libera.

XLV. Quando res aliter concipitur ac est, oritur Error, qui itidem distingui potest in *vincibilem* & *invincibilem*, adeo ut penitus parem habeat rationem cum ignorantia, & imputatio actionum ex errore susceptarum plane similis habeatur actionibus ex ignorantia factis. Addendum etiam quod circa errorem varie occurat distinctio inter materiale & formale peccati, quam tamen ut aliquantulum obscuram, philosophis subtilioribus debemus & linquimus.

XLVI. Hæc de intellectu: Jam subsequitur altera facultas hominis scilicet *Voluntas*, quæ cogi & coerceri omnino potest ac debet; Ita, ut prælucente sana ratione remotis omnibus apparenter bonis, se ad aliquam actionem decernat indubitato bonam, & ad felicitatem veram pertinentem, indubitato autem vel probaliter tantum & fortean malam per consequentiam, fugiat.

XLVII. Non autem, proh dolor! penitus ac absolute intellectus est voluntatis Dominus, utut ejusdem sit Consiliarius, haud modica insuper gubernandi potestate instructus.

XLVIII. Voluntatis spontaneitas h. e. agere impulsu perfecto voluntatis, facit obligationem; Qui impulsus in frequenter malis fere in coactionem solet degenerare, licet inviti agant. Et hæc voluntas semperque ebulliens fons actionum, fons etiam imputationum est.

XLIX. Varia autem dantur, quæ hanc voluntatem flectere possunt; Qualia sunt: Peculiaris dispositio sanguinis, quam *temperamentum* appellare solemus.

L. Hoc temperamentum vero ab imputatione non excusat, quoniam intellectui tantum superest potestatis, ut coercere

cere queat motus temperamenti, illosque cum die sedare & componere.

LI. An autem interna temperamenti dispositio ex oculis evidenter eluceat, dubium esse videtur, maxima difficultate laborans; Quapropter conjecturæ ex *physiognomia* desumptæ maximopere sunt fallibiles.

LII. Sic etiam dubium est: An certis quibusdam gentibus & nationibus certa quædam animi dispositio sit propria? Magis ferè in eorundem descenderemus partes, qui asserunt, falsum esse, quod integris nationibus aliquod singulare, vel vitii, vel virtutis sit hæreditarium. Utut rem ipsam, veluti ab hac præfenti tractatione alienam suo loco relinquamus.

LIII. Magni etiam fontes actionum nostrarum sunt *affectus*, hominem mox huc mox illuc trahentes, quorum tamen consideratio proprie hujus loci non est, quoniam ad Philosophiam moralem strictè sic dictam pertinent.

LIV. Omnes affectus comprimere, & impossibile, & irrationabile est; Tantum autem nobis temperare possumus, ne in actus externos, verba & signa ubi inconvenientes sunt, erumpant.

LV. Quamdiu enim intra cancellos pectoris manent, ut primi motus in foro sunt liberæ a pœnis, cum nemo teneatur ultra vires hominis.

LVI. Singulariter *Ira* & *amor* in nullo delicto excusant; nisi prioris justissima causa; & posterior cum insaniam conjunctus fuerit.

LVII. Valida etiam motiva ad agendum aliquid est *Consuetudo*, quæ inde altera natura dici communiter solet.

LVIII. Hæc autem in vitiis non excusatur, sed potius delicti pœnam aggravat.

LIX. His omnibus addi meretur *Ebrietas*, mater nimirum tot actionum humanarum: De summo Jure hæc netuiquam aliquid faceret ad dispensationem, quoniam autem facile & interdum citra magnam culpam mortales occupare solet; omnino æquum est, ut locum faciat mitigationi.

§. LX.

LX. Quod tamen illorum non est, qui temere, & sine male agendi sibi ebrietatem conciliant, vel effectus infanos ejusdem apud se cognitos atque expertos habent. Sicuti & approbantes factum per temulentiam, postquam edormita est crapula, nulla gratia digni sunt.

LXI. Patitur itaque ratio, delicta extreme ebriorum levius puniri, & suadet eadem, pacta & contractus eorundum nullos esse.

LXII. Fons actionum etiam vocari meretur *coactio* seu *vis*; quæ si tanta fuerit, ut eidem resistere agens non potuerit, sed instrumenti vicem gesserit, nullam promeretur poenam, sed potius commiserationem, quod per omnia delicta & pacta se exferit, Modo in delictis v. g. stupro violento non post victoriam, vim passæ aliqua accedat animi rati habitio.

LXIII. Cui consanguineus est *merus*, quippe qui, si tantus fuerit, ut hominem maxime constantem etiam adigere potuisset, ab omni imputatione, immunis est: modo proba habeatur ratio, utrum vim metumque patiens temere se in periculum conjecerit.

LXIV. His igitur exantlantibus, statim patescit, quantum alicui actio imputari queat, & non queat; Scilicet sub una regula ista omnia felicissime comprehendi possunt, nimirum hæc: *Quodcumque arbitrio hominis relictum fuit, ut fieret vel non fieret, ita esset vel non esset, illud justissime ipsi imputatur.* Unde præter ea, quæ jam sunt discussa fuit prono quasi alveo:

LXV. Naturalia ingenii, sensuum & membrorum nemini imputari posse, nisi circa eadem aliquid omiserit, vel fecerit, laude vel vituperio dignum.

LXVI. Facta aliena citra nostrum influxum, vel actionis vel omissionis, si scilicet prohibere potuimus, & non prohibuimus nos nullo modo astringere: Opem autem, consilium receptionem & cælionem nos delicti complices reddere. Non vero exemplum & nudam notitiam, nisi certis quibusdam iisdemque majoribus casibus.

B

§. LXVII.

LXVII. De casibus fortuitis & naturalibus nos neutiquam teneri, nisi aliqua nostra concurrat culpa.

LXVIII. Jussa auctoritate Summorum imperantium, non obligare exequentem, nisi liquido injustitiam actus agnoverit? E contrario mandata rei turpis & mandantem & mandatarium efficientem, reos facere.

LXIX. Gesta & patrata ab aliis, qui vel ratione penitus sunt destituti, vel ob ætatem aut morbum consentire & negotia sua utiliter gerere haud possunt, nullius esse valoris. Modo tempora crescentis ætatis & dilucida intervalla furoris & morbi probe considerentur.

LXX. Ad impossibilia tam physica quam moralia, neminem obligari; nisi vires agendi sua culpa lata amiserit.

CAPUT II.

De officiis Hominis erga DEum.

§. I.



Eu ab initio demonstravimus, homo sibi relictus, per meditationes de hujus universi qualitate, eo devenire potest, ut confiteatur. Nihil a se ipso esse posse, & hoc præsupposito, dari debere omnino ejusdem primam originem, eamque originem non esse corpus aliquod, sive partem hujus universi, per consequens aliquid existere extra, præter ac citra hoc universum, a quo omnia facta, & tam admirabili connexionem instituta.

§. II. Ut ut hæc sola demonstrandi existentiam DEI ratio sufficere possit, variæ tamen adhuc addi queunt, quarum communissima ex motu ita nobis arridet, ut eandem & hic subnectamus, statuentes: Quoniam nihil moveri potest a seipso, dari

dari necessario debere primum aliquem omnium motorum motorem, & hunc esse DEum.

III. Hoc itaque in solis disco exposito, statim patescit; Justissimam esse pœnam, qua affici solent Athei, vitio non adeo mentis quam voluntatis laborantes; Si enim eosdem tolerare vellemus, non solum justissimi Numinis vindictam irritaremus, sed & omnem Rempublicam pessundarem, quod utrumque summa circumspectione præcavendum.

IV. Eam ob causam non audienda est blasphema *Hobbesii* fermocinatio statuentis: Atheistas non esse injustitiæ sed imprudentiæ reos, eaque propter non puniendos ut legum transgressores, quas leges ut agnoscant se convincere non possunt. Et tandem si puniantur, pœnas ipsos luere ut hostes, videlicet tales, qui leges noluerunt accipere. En! qualis quantaque hæc sit ridenda subtilitas.

V. Stat igitur sententia: Esse aliquam omnium rerum causam & originem; originem; Esse aliquem omnium in perpetuo motu versantium motarem primum; *Esse DEum.*

VI. Qui DEus non potest esse aliquid quod visu nostro intuemur, omnia enim quæ videmus ejusdem sunt opera, sunt ab eo dependentia.

VII. Nec potest dici anima mundi, vel natura naturans, quoniam hæc locutiones nimis sunt barbaræ.

VIII. Posito itaque hoc inexpugnabili asserto: Datur DEus hujus universi creator; sequitur non solum, hunc mundum non esse ab æterno; sed sequitur etiam Eundem *Creatorem*, omne quicquid est, sua providentia gubernare & conservare; quod ob summam in religionem influxus necessitatem variis potest demonstrari argumentis naturalibus. Sic enim, ut taceamus, naturalem & æternam testificationem; & ad illam provocationem, morsus conscientiæ de factis contra leges liquido hoc arguunt; quibus accedit meditatio, Creatori summo, opus suum egregium adeo curæ esse, ut illud non patiatur ab alia causa destrui aut corrumpi, quod justitiæ, potentiæ & bonitati esset è diametro contrarium.

IX. De tanto igitur DEO, qui omnia non solum fecit sed & gubernat nil imperfecti potest præsumi aut dici, quapropter considerandus ut *perfectissimus*.

X. Quia omnia finita creavit, & in nullo nostri tenuis ingenii conceptu comprehensibilis, est *infinite*.

XI. Quia infinite, nullibi certo loco potest esse affixus, nec limitibus circumscribi:

XII. Quia est perfectus, vacuus est ab omnibus passionibus, quales sunt *Ira, Pœnitentia, Desperatio, Metus* &c. & si illæ de ipso prædicantur, non nisi secundum humanum conceptum & ἀνθρώπων κατὰς efferuntur.

XIII. Quo etiam referri queunt *Misericordia, Apperitus, Spes, Concupiscentia, Delectatio* &c. quamvis de misericordia non absolute dici queat quod ostendat imperfectionem.

XIV. *Intellectus & Voluntas* quando DEO attribuuntur, multo eminentiori modo illud fit quam si hominibus inesse dicuntur.

XV. Sic etiam *Scientia DEI*, omnem excludit antecedentem ignorantiam.

XVI. Et tandem *Deum esse unum*, ipsa Philosophia comprehendere possumus, dum enim eundem dicimus summum, statim significamus ex natura vocabuli & circumstantiarum satis jam inculcatarum, non posse dari plures summos, plures infinitos, quia alter alterum necessario excluderet.

XVII. Quod attinet *cultum divinum*, & hic ex lumine rationis satis superque potest demonstrari; *Fluit* enim prona veritate, illum qui tanta nos maclavit benevolentia, summo opere esse interne, ob tanta in nos merita (si ita loqui fas est) honorandum.

XVIII. Hoc concesso subsequitur *amor* tanti fautoris; & *Spes* de futuris bonis per omnipotentiam tribuendis; imo *Acquiescentia* in voluntate tam benigni Gubernatoris: Quibus accedit: *Timor* ob potentiam bona & mala nobis impertiendi; sed filialis ob certitudinem favoris, si recte egerimus pro viribus; devota *Observantia* illius, quod illum DEum nobis conciliare valet.

XIX.

XIX. Externè hic fluit necessaria *Gratiarum actio*; *Obsequium*, *Admiratio*; *Supplex imploratio*, *Juramenti evitatio*, quam diu alia adhuc supersunt media veritatem declarandi: & tandem honorifica non solum sed & venerabunda DEI divinarumque commemoratio.

XX. Ceremoniæ autem non quidem in terminis ex Juræ Naturæ deduci queunt, attamen quoniam absque illis commode haud fieri potest, ut exponatur reverentia, necessum omnino est, ut quadam solemni ratione cultus instituitur, præsertim ad excitandam in aliorum cordibus religionem & imitationem. Quod autem hoc certis diebus & temporibus fieri debeat nulla ratione solida J. N. unquam probari poterit.

XXI. Nec suo caret sine hicce cultus Divinus; Siquidem a parte DEI, est gloria ipsius. A parte autem hominis salus Reipublicæ, pauci enim Legibus solis se conformes præstarent, nisi interna quædam de futuris post hanc vitam probabilisque constaret testificatio, & nisi reverentia & timor Ultoris cujusdam extra forum soli mortales impediret. Quocum consentiunt omnes etiam barbaræ gentes, adeo ut lapis esset & bestia qui afferere vellet, Rempublicam bene constare posse absque metu DEI.

CAPUT III.

De Officiis Hominis erga se ipsum.



I.

Omnia propter hominem esse, satis superque demonstravimus; Jam igitur videndum erit, quomodo homo se gerere debeat erga semet ipsum, ut in hac vita queat felicem se prædicare, & dignum se sistere membrum societatis humanæ.

B 3

II.

II. Secundum igitur amorem istum tenerrimum, quem sibi debet, omnem curam adhibere tenetur: Ut in tam flexili & vaga animi sui conditione, *sana hauriat Principia, & expellat periculosa*: Omni meliori cura iudicii, & mentis vigorem sibi conciliare studeat, sive ex doctrina aliorum, seu ex libris, seu experientia & conversatione.

III. Ut *interiora sua cognascat*, iudicetque, in quonam vires suæ aliquid valeant & non valeant; Nisi enim hoc fecerit, aut imprudenter & nimis procaciter ad aliquod negotium provolabit; aut sibi diffidens, ad ea quæ efficere valet, se nunquam accingere audebit.

IV. Ut sibi bene caveat *ne conscientiam suam oneret juramentis* & obtestationibus, ubi nulla fuerit necessitas.

V. Ut *aliorum mores ac mentem cognoscere* sedulus allaboret.

VI. Ut *nomen boni viri sibi honeste acquirat*, non temere contemnentis quid de se publica fama vehat; neque honores ambitios e nimis affectantis & cum illis luxuriantis, vel affectate illos spernentis atque damnantis.

VII. Ut *prudens desiderium habeat sibi opes aliquas honeste colligendi*; Et ut collectis prudenter utatur. Non tamen fiduciam in ipsas collocet, nec iis amissis vel imminutis animum abjiciat.

VIII. Ut post cognitam suorum *affectuum vim* atque irregularitatem (sit voci venia,) studeat, eosdem tempori & loco *accommodare*, nec patiatur illos ultra carceres egredi, quantum ulla prudentia fieri potest.

IX. Ut, considerans se non posse & debere vivere in Republica humana ut supernumerarium, *honestum sibi eligat vitæ genus*, inque illo pro viribus societati inservire studeat, quamdiu nimirum illud permittit istius vitæ ratio.

X. Ut in venere, labore, cibo & potu, motu & quiete & aliis a medicis petendis semper circumspiciat *ne vitæ & sanitati suæ officiat*, inutilemque se justo citius reddat ad obeunda societatis negotia. Ut quidem abhorreat a vanis & obscœnis recreationibus

bus

bus, attamen suis etiam curis interdum honesta interponere gaudia non detrectet.

XI. Ut prudenti corporis & animi cura *vitam suam tandem conservet*, donec ob ætatem vix ossa cohæreant: Nisi citra magnum culpam ante justum tempus violenter perierit.

XII. Quæ vitæ conservatio cum tenerrimo sui ipsius amore conjuncta esse debet, ut sub nullo prætextu *proprium* locum habere queat, & non nisi melancholici hoc facto a gravi etiam post mortem pœna sint dispensandi.

XIII. Imo tenerrimus iste amor eò se extendit, ut *vite nostra invasor cum cade possit repelli*, modo justum adhibeatur moderamen; Ita ut defendens non sit autor rixæ, nullus locus detur effugiendi nec alia ratione eadem evitandi. Quod etiam extendendum ad membrorum mutilatores, virginitatis libertatisque raptos.

XIV. Quod autem attinet *honorem & famam vindicandas* & a detrimento liberandam, non ultima etiam homini incumbit obligatio; Injuriam enim leves quidem patienter sunt ferendæ, graves vero inflictæ, sive verbis, sive scriptis, sive factis v. g. alapa, vindicandæ omnino sunt, absque tamen sævitia in infligentis corpus, justa scilicet via, quam quidem viam Jus Civile ostendit, sed J. N. non æque determinat, utut proportionem vitæ & injuriarum falsam esse, satis exponat.

XV. Quod idem de rebus tenendum, quas scilicet nobis servare, & contra violentum raptorem defendere debemus; An autem hæc *defensio cum cade* fieri queat, absque hæsitatione affirmamus, non adeo solliciti de proportionem delicti, quam de transgressione legis naturalis & violatione pacis, securitatis & tranquillitatis publicæ.

XVI. Ex eodem fundamento, dubium non est, quin *fur nocturnus* absolute, & diurnus se defendens cum instrumento ad occidendum & lædendum aptissimo, possit occidi, modo aliæ non fuerint rationes, eundem vel capiendi, vel auferendum recuperandi.

CAPUT.

CAPUT IV.

*De Officiis erga Proximum, vel absolutis,
vel factum aliquod presupponentibus;
adjecta materia de Rerum Do-
minio & de culpa presta-
tione.*

I.



Respectis officiis erga DEum & Nosmetipsos, inoffenso progredimur pede ad officia Homini erga Proximum suum, eapropter exhibenda, ut nexus societatis & felicitas ejusdem non solum non impediatur, sed amice promoveatur; Hæc autem vel talia sunt, quæ nos Homini debemus ut homini, licet nunquam ejus commercio usi simus, solam ob rationem & regulam: Quod ea, quæ nobis fieri vel non fieri velimus, etiam aliis facere & non facere teneamur. Sunt autem illa quæ communiter absoluta dici solent.

II. Quod omnes nostros *cives* debeamus *ut aequales tractare* ob naturalem cum iis similitudinem.

III. Quod *neminem* debeamus *lædere*, ob evidentissimam ex læsionibus fluentem generis & societatis humanæ ruinam. Quid autem sit lædere, satis judicari potest ab unoquoque, qui absque corruptione rerum suarum, vitæ, corporis, famæque &c. deminutione vivere amat.

IV. Quod *damna* & læsiones nostro proximo, nostra vel actione vel omissione illatas, *resarcire* teneamur. Quo & *damna*

damna ab animalibus nostris, nostra culpa & a servis nostro jussu data, referri merentur. Quomodo autem hæc reparatio fieri debeat, hoc prudentum arbitrio committi debet.

V. Quod ex eadem ratione de *vulneribus inflictis* ad omne interesse simus obligati; Quocum incidit satisfactio stupratæ præstanda.

VI. Quod non solum debeamus proximum nostrum non lædere, & ipsius facultates & bona non contrectare, ipsumque in honore & felicitate constitutum non dejicere; Sed etiam a *læSIONIBUS* eundem defendere; Bona ipsius contra invasores propugnare; Honorem ejus & felicitatem omni meliori modo conservare & promovere.

VII. Quod adstricti sumus, proximis nostris *beneficia præstare*, vel talia, quæ omnibus in genere sunt proficua; vel talia, quæ uni vel alteri membro societatis bene illa merenti sunt grata atque accepta. Probe tamen tenendum, nulla beneficia proximo exhibita, conjuncta esse debere cum gravi nostro periculo & detrimento: Quocum incidit regula: Quod tibi non nocet, alteri vero prodest, hoc facere teneris.

VIII. Quod *grates persolvere* debeamus iis, qui beneficiis nos affecere, si non aliquando re, minimum tamen verbis & voluntate.

IX. Quod jubeamur *in sermone nostro proximum non lædere*, nec ejus famam arrodere, sed ipsius felicitatem verbis & ore promovere. Nec in pactis usurpare verba ambigua, sicuti & falsiloquium nocivum penitus abesse debet. Quibus omnibus accedunt cautelæ circa juramentum, quod cum sana circumspectione præstandum, nec penitus detrectandum, quia in societate humana eo carere haud possumus.

X. Hæc in compendio exhibita, sunt absoluta officia erga proximum, imò partim quæ ex nostro facto oriuntur; sequantur jam ea quæ factum aliquod proximi & nostrum præsupponunt certis conditionibus alligatum. Quoniam autem palmarium hominum commercium versatur in pactis, & contractibus, illa materia jam fufius erit exponenda. Tenendum itaque:

XI. Quod *Pacta* mutuo consensu & serio inita, *sint servanda*,

C

vanda,

vanda, & fides data nunquam temere rumpenda. Quoniam enim naturalis conditio societatis humanae expostulat & jubet, pacta interdum esse ineunda ob difficultatem praestationis illius quod unus alteri debet, nil nisi rixae & ruinae orirentur, quamobrem posita necessitate pactorum, ponenda etiam necessitas servandae fidei per pacta promissae.

XII. Et hoc eò magis, quia meri consensus est pacta inire, qui igitur a priori consensit, a posteriori etiam stet promissis necesse est.

XIII. *Quomodo* istiusmodi consensus exprimaturn clarius est, quam ut indigeat demonstratione: Difficilius fortean erit determinare, quamnam & cujus aetatis & conditionis personae consentire queant; Attamen si in subsidium vocaverimus compendii gratia Jus civile omne dispalescit dubium; Tantum J. N. clarum est, plenum rationis usum postulari ad dandum in aliqua causa validum consensum.

XIV. *Consensum liberum & clarissimum* esse debere liquido constat, quapropter errorem vitare pacta & contractus J. N. satis inculcat, scilicet si error circa id versetur ad quod specialiter intentio directa fuit.

XV. Similiter *dolum, metum & vim* ab omni contractu abesse jubet J. N. quoniam consensum requirit omnino liberum, adeo ut in consensuri voluntate positum sit etiam dissentire. Materiam pactorum circa res proprias, licitas & possibiles versari debere, in confesso est, omnis enim contractus in turpi causa invalidus est, reosque facit & offerentem & acceptantem.

XVI. *Dissolutio pactorum* fit expresse, mutuo dissensu, vel solutione de qua infra, vel in debitis, compensatione, remissione; in societate &c. morte alterutrius, temporis lapsu &c. tacite temporis lapsu, dolo, & si sub conditione inita, conditione non impleta: modo eadem conditiones non versentur circa impossibilia, vel physica, vel moraliter talia; Si enim moraliter impossibilia, pro non adjectis habentur; Si physice, nullitatem gesti inculcant: Nisi fortean in materia testamentorum aliter statuendum, quod tamen necessitas haud efflagitare videtur.

XVII.

XVII. Pacta (sive Contractus, nos enim ea vocabula ejusdem valoris hic loci esse, præsupponimus,) sunt vel onerosa ab uno tantum latere, vel onerosa ex utroque latere.

XIIX. Ad onerosa ex uno latere referimus: Commodatum, certa ratione mutuuum, scilicet in re fungibili gratis exhibitâ, de quo infra, mandatum atque depositum; Quorum natura in propatulo est. Quod autem specialiter attinet *Commodatum*, est pactum, de rei alicujus usu gratis & ex amicitia præstando, ex quo consequitur, commodatarium teneri de omni culpa circa rem commodatam commissa, Commodantem vero non nisi rarissime, si scilicet in re commodata aliquid necessariò impenderit: Ad quem autem casus fortuitus pertineat, J.N. Doctores exercet, utut stricto jure contra commodantem sit pronuntiandum, Licetis tamen æquitati partibus.

XIX. *Mandatum* est contractus gratuitus rei alicujus gerendæ, remunerationem admittens; Initur con- & solvitur dissensu, & facit utrasque partes obligatas ad ea præstanda, quæ justî & æqui sunt, tam in negotio gerendo a latere mandatarii, quam à latere mandantis in indemnitate, nemini enim suum officium debet esse damnosum.

XX. *Depositum* itidem est contractus gratuitus, remunerationem nihilominus tamen admittens, vi cujus obligatur depositarius ad rem servandam & latam culpam præstandam, & deponens ad id quod interest, & quod occasione rei depositæ expensum est.

XXI. Sicuti in hisce onerosis & similibus ex uno tantum latere, omnia justo & æquo sunt superstructa, sic par est ratio cum onerosis ex utroque latere, in quibus potissimum aequalitatem servari jubet J.N. & omnem quidem prohibet læsionem, attamen cum nullus contractus hujus generis sit, in quo non aliqua intercedat læsio, eo restringit querelas & actiones, ut non nisi ob magnam & gravem admittantur, & hoc eapropter, quia utraq; partes fuere præsentis, quibus incubuisset sibi consultus prospicere; sunt vero hujus farinae sequentia, ad quæ modo dicta sunt applicabilia.

XXII. *Permutatio*, quæ antiquissima ratio negotiandi fuit in defectu pecuniæ signata & adhuc durans pro lubitu.

XXIII. *Emtio venditio*, rerum scilicet fungibilium ponderis, numeri & mensuræ; Et non fungibilium sive illarum quæ quidem usu atteruntur, attamen non statim consumuntur. Requirit hæc emt. vend. traditionem & acceptationem, & quid circa res deperditas ante traditionem justum sit, in solis disco positum est.

XXIV. *Locatio Conductio*, quæ est rei alicujus concessio & acceptatio ad utendum fruendum salva ejus substantia. Officia utriusque contrahentis in rei concessione, proba usurpatione, locarii & damnorum præstatione, locarii remissione tempore non-usus vel usus non-ordinarii &c. satis sunt ipsa sana ratione exposita. Prouti & illud, quod circa locationem operarum justum est, nulla difficultate perplexum est.

XXV. *Mutuum*, scilicet rei fungibilis traditio & acceptatio, pro certa quadam usura, sicuti plurimum fit; circa hoc par Officia utriusque contrahentis omni difficultate quoad dijudicationem carent. Quod autem usuras attinet, nisi mordentes fuerint, & de pauperibus acceptæ, per argumentum a locatione conductione nil habent iniquitatis.

XXVI. In securitatem mutui, potissimum pecuniæ mutuo datæ, haud raro semet obligare solent *Fidejussores*, personæ scilicet rerum suarum Dominæ, quæ pleno jure ad solutionem adstrictæ sunt, eo casu, si principalis debitor non possit vel si detrectet solvere. Femina vero specialiter prohibentur, ob singularem animorum flexilitatem præter, alias adhuc rationes.

XXVII. Ob eandem securitatem sæpiuscule constitui solent *Pignora*, de quibus utrum sint Juris Naturæ, frustra disquiritur; sunt autem res mobiles in custodiam creditoris traditæ; & *hypotheca*, scilicet res immobiles, creditori tantum assignatæ. His datis creditoris jus adeo validum est, ut in casum protractæ ultra terminum solutionis tantum exinde capere possit, quantum est creditum sub ejus fide exhibitum. Quibus accedit pactum de cessione pignoris

pignoris & acceptatione quantum superest, si statuto die non liberatum fuerit.

XXVIII. Circa hanc materiam pactorum, etiam occurrit illa, de pretio alicujus rei statuendo & determinando; solet autem determinatio ejusdem fieri a raritate, ab indigentia, ab artificio, ab affectione &c. & consistit in comparatione rei ad rem, scilicet pecuniam, quam laudabile institutum introduxit, scilicet ut esset materia rara, & formæ compendiosa, facileque recondenda.

XXIX. Tandem etiam de solutione erit agendum, quæ faciendi vel per se per alios, ipsi creditori, aut legitimo ipsius vicario; Ipsa autem debita creditori haud invito intempestive importuno loco, aut particulariter sunt reddenda. Quæ omnia & singula etiam semi-sanam rationem possidens, pervidere potest. Id solummodo adhuc addendum, quod per omnia hæcenus memorata pacta, & illa quæ omissa, officia Hominis erga hominem in fide, dexteritate & sinceritate cor dicitus sint exhibenda.

XXX. Tandem nostrum non fuisse, confitemur, hic varias adhuc alias contractuum & pactorum species explicare; sufficiat dixisse; Quod a voluntate antecedente & mutuo consensu omne negotium civile secundum sanam rationem debeat dijudicari.

XXXI Jam de Rerum Dominio; circa illud autem primum occurrit dubium; *An distincta dominia sint Juris Naturalis?* quod affirmando resolvi non potest, siquidem ex anterioribus clarum est, DEum in omnium hominum gratiam fecisse hoc universum, adeo ut omnes idem jus habeant, tantum de illius fructibus capiendi, quantum ad suam felicitatem requirere possint.

XXXII. Quod autem pro conditione hominis, haud facile in aliquo subsistentis, sed semper plura occupare & ad se rapere gestientis, sanæ rationi non solum non contradicat, sed bene conveniat, quemlibet suam habere proprietatem, hoc sole clarius est. Eo magis, quia sufficientem habemus experientiam, communionem esse matrem rixarum.

XXXIII. Quamobrem rebus sic tacita conventionem & jure

re Naturæ permissivo approbante, stantibus, omnino dispiciendum est, quid sit rerum dominium, & quomodo illud acquiratur vel amittatur?

XXXIV. Est autem rerum Dominium nihil aliud, quam *jus alicujus, dicendi* de aliqua re in commercium veniente: *Hac mea est.*

XXXV. Res quæ tale Dominium non admittunt, paucissimæ sunt, & vix ultra aerem quem haurimus, & lumen solis quo fruimur se extendunt: Et hoc inde, quia & ipsa flumina & oceanum finibus imperii alicujus subesse fingitur.

XXXVI. Quomodo autem dominium rei obveniat alicui, non uno verbo explicari potest, siquidem varii sunt *modi rem acquirendi*;

XXXVII. Ut breves simus, communem acceptabimus distinctionem, in *modum originarium & derivativum*, & quoniam singulares horum modorum neminem quoad circumstantias fugiunt, brevem instituemus eorundem enumerationem.

XXXVIII. Sic igitur originarii sunt; *Occupatio*, quæ vel est *rerum immobilium, vel bellica*, hodie privatis non facile, sed tantum illis qui per modum imperii aliquid defendere & sibi capere possunt obveniens; vel est *rerum mobilium*, scilicet earundem quæ verè nullius sunt, ad quos Jure Naturali & gentium variæ essent, numerandæ, nisi Lex positiva imperantium, non sine ratione & respectu ad salutem publicam, circa venationem & alia aliter disposuisset & ad ultimum supplicium etiam prohibitionem extendisset.

XXXIX. Quod sub nomine rerum quæ nullius sunt, res casu amissæ, dejectæ, in incendio exportatæ & similes, comprehendi nequeant, neminem sanum latere potest; Quid autem de thesauro dicendum, non æque clarum quidem est; attamen hoc modo expediendum; Thesaurum, scilicet res pretiosas forte fortuna vel etiam licita investigatione in proprio fundo inventas, cedere inventori; nisi aliqua exstet adhuc deponentis memoria: Inventos ab alio, pertinere ad dominum fundi, qui proportionatam tenetur dare remunerationem; Quæ de arte magica & aliis hic occurrunt, nil moramur.

XL. Occupationi proxime jungenda est *accessio*, quæ vel *Naturalis cum accedente cultura* ut multiplicatio animalium, Proventus terræ & arborum, &c. quæ cedit alenti & colenti; vel *fortuita*, ut *alluvio*, quæ cedit proxime adjacenti, nisi magna pars terræ quæ fisco, & ab alieno disrupta, quæ pristino domino tribuenda. *Confusio*, quæ admittit geometricam divisionem; Quod idem de Insula in flumine nata & alveo derelicto dicendum. Vel *Artificialis*, ut *specificatio*, ubi præstantius secum trahit vilius; *Edificatio*, quæ nullum jus acquirit in fundum. *Scriptura & pictura*, quæ tabulam & materiam adsciscunt; *implantatio* quæ nullum jus in solum facit, sed absque detrimento non tollenda eidem linquit &c.

XLI. Succedunt jam aliæ rem possidendi & de ea disponendi rationes, veluti *Emphyteusis*, *superficies*, *fundum* & certo modo *servitutes*, porro *Ususfructus vel quasi*, *Usus*, *Habitatio*, de quibus sigillatim agere, hic supersedemus, & Lectorem remittimus ad Jur. Civ. Scriptores ubi omnia de illis memoranda, ex fonte sanæ rationis & J. N. hausta satis sunt exposita.

XLII. His itaque perspectis, ducimur ad modos acquirendi, & consequenter possidendi Dominium derivativos, circa quos generaliter *translatio & acceptatio* occurrunt, in omni rei alienatione necessariæ, sive fiant proprie, sive per similitudinem: Primarius autem modus derivandi dominium præter Donationem est:

XLIII. *Testamentum*, circa quod dubium ab aliquibus motum, utrum sint Juris Naturæ? in præsentiarum non attingemus, quia illud specialem & amplam discussionem ex postulat.

XLIV. Moribus, sub certis quibusdam solennitatibus confici solet testamentum, quæ ipsi plenum conciliant valorem: Sunt autem ultimarum voluntatum variæ species, quas tamen J. N. non novit, quippe secundum quod ulterius progredi non licet, quam quod posita ex Jure permissivo proprietate, Domino hujus vel illius rei demortuo, proprietates ei
obve-

obveniat & accrescat, qui ex jure sanguinis & cognationis proximior est; in quo liberi & uxores, quos parentes & mariti ex obligatione plena etiam post mortem alere tenentur, donec vel ipsi sibi sufficiant; vel nisi hæ ex propriis satis sibi consulere queant, omnibus aliis merito præferre deberemus, nisi obstaret religio.

XLV. Quod autem exhæredationes attinet, illas Jus naturæ iterum non novit, quia animi tranquillitatem a mortalibus exigit, quæ tamen multum turbaretur, si, potissimum in articulo mortis adhuc adversus hunc vel illum ademptionem illius, quod jure ipsi debebatur sævire vellent. Quicumque enim alicui id adimit, quod jure ejusdem est, ille graviter peccat, & si sanæ rationis lumine & notitia justus ex officio gaudet, omnino tranquillitate animi destituitur.

XLVI. Circa liberos alia adhuc ratio est, parentibus enim eam libertatem nemo cum fundamento abjudicabit, quod non possint liberis hæctenus immorigeris viam ad arcas & gazophylazia tamdiu occludere, & per fideicommissum alios admittere, donec ad meliorem illi redierint frugem. Modo ipsis interim non omnia denegent naturalia, & quibus nullo modo carere possunt.

XLVII. Si autem filius vel filia plane indigna se fecerint membra societatis humanæ, adeo ut nulla spes sanioris vitæ supersit, tunc omni dubio caret, parentes ipsis jure suppellectilem suam adimere posse. Quæ tamen omnia non ea propter dicta sunt ac si nos vellemus morem faciendi testamenta hoc uno ictu damnare; Philosophari enim tantum liberum esse existimavimus.

XLIX. Tandem brevissimis etiam de modo acquirendi per *Usucapionem vel Prescriptionem* erit dicendum: Videtur hicce modus haud paucis rem non rite insipientibus nimis crassus imo irrationabilis; attamen si consideraverint, posita distinctione dominiorum, quemlibet etiam securum esse debere de sua possessione, hoc autem fieri non posse, si semper
&

& in perpetuum adhuc lis de re aliqua moveri queat; facile labellum digito compeſcent; Eò magis ſi in eorundem ſolamen dixerimus, non quemvis, ſed juſti tituli & bonæ fidei poſſeſſorem ita acquirere poſſe. Imo ſi ex ipsis quæſiverimus: Annon ob negligentiam tantum temporis de jure ſuo non ſolliciti jura aliquid in ipſius pœnam ſtatuerè queant, ut alii ejus exemplo edocti vigilant?

XLIX. Nunc de præſtatione culpæ eſſet dicendum; quia autem dedecus haud eſt majorum veſtigiis inhærere, liceat *Illuſtrem Wittebergensium Wernherum* ſequi, qui hanc rem accuratiſſime ita exhaurit:

L. *Leviſſima culpa h. e. omiſſio diligentia exactiſſime, præſtatur in jſ negotiis, ubi ſolius accipientis eſt commodum:*

LI. *Levis culpa h. e. omiſſio diligentia exacta, præſtatur in negotiis ubi commodum eſt utriusque partis.*

LII. *Lata culpa h. e. omiſſio diligentia infima, præſtatur in negotiis, ubi ſolius dantis eſt commodum.*

LIII. Quibus expoſitis ultro fluit, dolum ab omni negotio procul abeſſe debere, ſcilicet qui non ſolum præſtandus, ſed etiam in perliſque negotiis infamiam ſecum trahere.

CAPUT V.

De Officiis eorum, qui vel vere vel analogice ut superiores & inferiores ſunt conſiderandi.

I.



Omnes in ſtatu naturali non ſine maximo incommodo vivere poſſe, quilibet ſatis agnoſcet, qui libertatem omnia ex proprio arbitrio agendi, generi humani ſumme nocivam reputat; Quamobrem per Status adventitios maximopere nobis conſultum eſt.

D

II. ER

II. Est autem arctissimus horum; *Status Conjugal*, indeque primo loco consideranda nobis veniunt; *Officia Mariti & Uxoris*, veluti in societate amica viventium, ubi quidem naturaliter maritus non est uxoris suæ Dominus, attamen in tantum administrans directorium super uxorem, in quantum illa pro debilitate iudicii, consilii, & opis facile a recto deflecti potest. Quod moribus ita stabilitum est, ut contradictio amplius locum non inveniat, imò hoc eo magis, quia iisdem moribus introductum, quod non foeminae sibi maritos sed *masculi uxores* quærant atque adiscant.

III. Ad hunc statum formandum quilibet homo *naturali propensione* fertur, & prouti in brutis experitur, quanta eorundem sit circa sui simile procreandum, studium, quantaque ordinatissima ratio; Sic etiam instinctum suum naturalem non violentia quadam reprimat, sed totus in eo est, ut pro dispositione sua naturali, etiam civiliter occasionem justam inveniat, propagandi genus humanum, qua demum inventa occasione, omnino vituperio dignus esset, si nihilominus in coelibatu vivere secum constitueret.

IV. Per vagos concubitus aut aliam libidinis extinctionem foedissimam, finem propagationis obtineri haud posse, ipsa sana ratio satis demonstrat, quæ simul inculcat, certas leges esse necessarias, secundam quas tam grave negotium attemperandum, hasque leges ex fonte J. N. depromtas sistit sequentes:

V. Quod fines matrimonii probe sint considerandi, & omnibus qui illis satisfacere non possunt, conjugium interdicendum, quales sunt castrati & illis similes. Non vero senes masculi.

VI. Quod *etas* tenerrima sit inutilis ad contrahendum matrimonium, eaque propter in utroque sexu tempus aliquod statuendum, circa quod habiles judicari queant personæ jungendæ: Et quod in femella attendi debeat primario parienti facultas, in masculo autem non generandi solum, sed etiam familiam alendi habilitas. In subsidium hic vocamus *Statores J. Civ.*, qui certos quosdam constituere annos, ad evitanda circa hanc rem litigia.

VII.

VII. Quod circumspecta præmitti debeat *deliberatio* antequam masculus vel femina se decernat ad eligendam alteram partem, & quod tandem consensus debeat esse liquidus & pleno arbitrio exhibitus.

VIII. Quod *Parentum consensus* eapropter sit requirendus, quia ingratum esset, cum suis nutritoribus de adeo magna mutatione nihil communicare, nec eorundem consilium adhibere, cum tamen præsumptio pro illis militet, quod salutaria sint promoturi & nocentia disvasuri. Et quod, ne hæc æquitas & honestas in necessitatem degeneret, Parentibus vel obstantibus, vel inter se non convenientibus, iudicio superiorum hæc res committi debeat.

IX. Quod cæterum aliqua requirantur *solemnia*, quibus matrimonii negotium consummandum, quæ tamen J. N. non definita: scilicet secundum quod, præsupposita necessitate conjunctionis maris & feminae, & quidem talis, quæ ad dies vitæ duret; requiratur etiam ut aliquid accedat, per quod alterutra pars resilire fortean volens, ad servandam perpetuam consuetudinem vitæ adstringi queat.

X. Quod *multos habere maritos* rationi repugnet, ob inde evenientem incertitudinem patris & inde fluentem dubiam educationem.

XI. Quod *multas habere uxores*, non quidem stricto J. N. contrarietur, attamen ob innumeras exinde propullulantes turbas in societate civili non tolerari debeat.

XII. Quod idem dicendum de *consanguinitate & affinitate*, quarum prohibitionis rationem J. N. inveniri haud posse, hætenus innumeri crediderunt. Licet nulla difficultate laboraret, quod detestabile sit, & ipsi animo ac rationi prudentis (de iis enim qui humana exuerunt, sermo non est) infestum, illi personæ se conjugali nexu jungere, quæ copula parentali vel quasi, fororia & fraterna, & tandem quasi uxoria vel maritali jam satis conjuncta fuit.

XIII. Quod *officia Conjugum* reciproca consistant, in mutuo & sincero amore, in exhibendo corpore ad sobolem

procreandam & libidinem extinguendam; In mutuo adjutorio & collatione bonorum (ut de dotibus J. N. plane nihil disponat) præstanda ad communem familiæ utilitatem; An autem perpetua vitæ consuetudo & duratio matrimonii ad diem vitæ, ex J. N. deduci queat, dubium est, haud ex vulgaribus: ut nostram explicemus mentem: Conjugium est fœdus (absit mala explicatio termini) initum inter duas personas mero consensu, adeo ut in præjudicium alterutrius partis inde resiliere nefas sit, ex quo consequitur, in gratiam partis debilioris, sc. feminae cui non æque facile esset ad secunda transire vota, fœdus hoc iniri debere ad diem vitæ, nisi gravia intervenerint, de quibus mox fusius agendum.

XIV. Quod *Officia mariti* huc redeant, ut suam uxorem alat atque defendat honorisque sui participem reddat; Uxor autem, ut marito obediat, quia mores non aliter rem exigunt, nemo enim præsumitur sibi aliqui comparare ut ejus sit subjectus, sed ut arbitrarius ejusdem Dominus & probus sit administrator.

XV. Dicendum itaque nunc est: Quod *conjugium dissolvi* queat & debeat si maximis pacti momenti alterutra pars contraverit; h. e. si corpus alii communicaverit; malitiosam que desertionem fecerit, quo & pertinax debiti conjugalis denegatio referenda esse videtur.

XVI. Quod ob *perpetua dissidia*, jurgia & alias morum iniquitates non statim ad separationem totalem provolandum, sed disjunctio temporaria ad tentandam reconciliationem decernenda sit.

XVII. His exantlatis succedit alter ex jam dictis fluens *status familiae* h. e. parentum & ab illis descendentium: Circa hunc Jus Naturale sufficienter hoc in compendio declarat:

XVIII. Liberos teneri ad *obedientiam* in omni re licita parentibus utrisque sanis, ex capite generationis, nutritionis & tutelæ. Et ad reverentiam licet ultra eorundem sortem elevati fuerint.

XIX. Parentes autem contra ad hæc capita bene observanda

vanda itidem alligari, adeo ut non satis se egisse putent, si sobolem procreaverint, sed si eandem rite non solum *enutriverint, sed & in moribus educaverint*, & pro facultatibus suis ita adjuvaverint, ut dignum evadat societatis humanæ membrum; *Licitatamen & eidem libertate in eligendo vita genere honesto.* Et hoc magis, quia Jus Naturæ vel quasi, quod brutis inesse videmus, punctum alimentationis satis belle ipsis ob oculos ponit; Adeo ut ne quidem dici necesse sit, expositiones infantum, abortus studio factos & similia, legibus naturæ contradicere.

XX. *Adoptionem & arrogationem non repugnare societati,* quia vinculum naturale non solvitur, & finis educationis ad mundi utilitatem satis obtinetur. Quid autem de bonis liberorum statuendum sit, nostra lex non decedit, sed linquit illud J. Civ., æquitati & hac in parte superstructo.

XXI. Progredimur ad *statum Herilem*, & secundum J. N. ita judicamus: *Neminem natura servum esse*, neque DEum esse autorem servitutum, utut a posteriori easdem toleret & concedat, distinctis dominii & inde orienti indigentia, debitorum onere ex pigritia interdum ortis, partim etiam bellis & captivitatibus quoad originem tribuendas. Et præsupposita his extractionibus invalescente servitute exponat:

XXII. *Servos teneri ad operas præstandas; Dominum autem ad suppeditanda alimenta victus & amictus.*

XXIII. *Domino competere quidem jus imperii & cum eo connexa coercionis, attamen citra sævitiam.*

XXIV. *Dominum posse captos in bello & in servitutem redactos, non vero pacto servientes vendere & alienare in alterius Dominium transmittere.*

XXV. Tandem, satis admirabilem esse præsentem mundi statum, quod nimirum dentur non solum imperantes & Domini, sed etiam subditi & servientes, nos jam a posteriori concludimus.

XXVI. Versati hactenus sumus in speciali & unica domo vidimusque tres status communiter in eadem obvenientes. Jam ad *statum plurimum domorum s. republicæ & Civitatis inoffenso*
pro-

progredimur pede, & judicamus brevibus, quia non Politicæ sed J. N. regulas jam perspicimus.

XXVII. *Originem Civitatum* & rerumpublicarum non ab indigentia, nec a naturali ad societates inclinatione solum, sed a studio semet adversus invasiones & ruinas unitis viribus conservandi, deducendam esse.

XXVIII. Istiusmodi concurrentes societates non posse feliciter subsistere; si omnes in eadem simili gauderent auctoritate; quoniam ea ratione quilibet quodlibet statuere auderet, non ad emolumentum, sed ad ruinam societatis faciens.

XXIX. Eaquepropter unitatem voluntatum summe necessariam requirere etiam *unam personam* vel physice vel moraliter talem, penes quam sit dispositio & gubernatio, Cuique se adstringant cives, parituri salutariter ab illa ordinatis vel ordinandis; reciproca sub adstrictione gubernantis, de circumspicienda cura, ne quid respublica detrimenti capiat.

XXX. Et approbatis his omnibus, sponte semet exferre distinctionem Officiorum, in ea quæ sunt Gubernatorum erga suos cives; & quæ sunt civium erga suos Gubernatores.

XXXI. Antequam autem ad singulorum provolemus enumerationem, necesse est, ut illos memoremus facultates quibus imperans necessario præditus esse debet; sunt autem eadem sequentes:

XXXII. *Facultas dandi leges*, pro temporis & circumstantiarum ratione, ubicunque viderit civium moribus obicem esse ponendum; aut inearundem salutem hoc vel illud abrogandum vel injungendum, mitigandum vel exasperandum esse.

XXXIII. *Facultas Judiciaria*, h. e. de criminibus & delictis non solum cognoscendi; sed etiam lites Civium dirimendi, ne Resp. intestinis pereat |dissidiis.

XXXIV. *Facultas Pœnas infligendi* delinquentibus contra LL. vel dudum vel nuperrime latas: Et præmia distribuendi ac dispensandi.

XXXV. *Facultas gerendi bella*, h. e. potestas convocandi
ci-

cives ad arma gerenda habiles , ut inuasoribus & securitatis destructoribus , qui invita lege ruinam minantur , & nullum se in forum citari patiuntur , vi & armis obviam iri queat. Et Pacem ineundi , h. e.

XXXVI. *Potestas compositis litibus* omnem fidem de non amplius offendendo dandi.

XXXVII. *Facultas foedera ineundi*, ob singularem utilitatem & ad conjungendas vires proprias non sufficientes cum alienis ; Et vice versa se conjungendi cum aliis vim patientibus.

XXXVIII. *Facultas mittendi legatos*, quorum jura satis sunt evidentialia.

XXXIX. *Facultas occupandi bona* civium deque iisdem disponendi, onera illis imponendi, in salutem publicam & hoc quidem ex jure Dominii eminentis.

LX. His præmissis, enumerari minimum merentur *Officia Imperantis* ; & in ditione magna & in minori, secundum quæ tenetur :

XLI. *Salutem subditorum*, ut supremam sibi semper ob oculos ponere legem.

XLII. *Leges saluti & tranquillitati publicæ* prospicientes jam conditas, strenue conservare, & novas claras atque dilucidas pro necessitate non vero superfluas, condere & promulgare.

XLIII. *Delinquentes* contra illas LL. proportionate punire, & obtemperantes iisdem beneficiis mactare ; quo mali in viam rectam reducantur, & boni ad ulteriorem continuationem invitentur.

XLIV. *Administratores Justitiæ*, officiales, vicarios & Ministros *constituere* cordatos, omnem corruptionem abhorrentes ; inque eorundem gesta curiosus esse.

XLV. *Unumquemque jus suum* persequentem *adjuvare*.

XLVI. *Factionibus obicem ponere* & invigilare in negotia civium, ne Respublica scateat otiosis, intestinasque turbas omni meliori modo præcavere.

XLVII.

XLVII. Civibus *securitatem prestare*, removendo nimirum non solum externam invasionem & violentiam; sed & in pace de bello cogitando; milites & fortalitia sarta tectaue conservando; pecuniam publicam ad sumtus belli in pace modice colligendo; in consilia vicinorum per literas, vel sic dictos Residentes, vel etiam potissimum tempore bellijam cœpti, per exploratores, vigiliare.

XLVII. lisdem, quocunque modo fieri potest, *vitam efficere tranquillam*, ut eo majori confidentia pareant, & urgente necessitate, ad erogandos sumtus, & vitam pro salute publica profundendam, prompti atque parati sint.

XLVIII. *Commercia*, manufacturas, nundinas, cursorias & alia ad salutem civium facientia *insituere* & facilitare. Ut & pretia ac mensuras statuere.

XLIX. In *imponendis oneribus aequalitatem servare*, nec immunitates, obinde emergentia incommoda, facile concedere.

L. Semper *ditiores* in Territorio *conservare*, nec eosdem una vice emungere, ut habeat Cives curam publicam, etiam ob proprium commodum, curæ cordique sibi esse sinentes, nec ob paupertatem & bonorum jacturam ad desperata consilia & iniquitatem provolantes.

LII. *Subditis prescribere leges frugalitatis*, ne quis temere rebus suis abutatur.

LIII. *Impensas facere in res utilissimas* & prodigalitem penitus abjurare.

LIV. *Tollere ex ditione sua propagantes Dogmata politica & moralia* malefana. Quod autem eò cum Hobbesio, hac in parte malefano, non extendendum, ac si Princeps obligatus esset, illam religionem, quam in sua conscientia æternæ civium saluti conducere credit, introducere.

LV. *Bonas literas promovere*, ut per illas prudentes & sapientes in ditione evadant cives, bonis consiliis saluti publicæ prospicientes & in rebus arduis consulendi.

LVI. *Disponere de rebus sacris* quoad externa earundem.

LVII.

LVII. Civibus & subditis *exemplar vite & imitationis præbere*; omnesque LL. Naturæ, tenaciter fervare.

LVIII. Hæc sunt officia imperantis quasi in nuce; circa quorum enumerationem neminem offendat confusio illorum, quæ facere & quæ omittere tenetur, quoniam brevitatis gratia eadem sejungere displicuit.

LIX. Unum adhuc est, quod addamus, scilicet distinctiones Imperii in Moanarchicum, Aristocraticum & Democratricum; *Ambulatorium & perpetuum*, & quæ sunt aliæ: hoc loco in considerationem, venire haud potuisse; quoniam J. N. illas distinctiones non novit, sed solummodo ea, quæ jam exposita, ut regulas imperantium in genere dilucide exponit. Ex quibus ii qui suprema gaudent & illimitata potestate sua, ii vero qui moribus & facto legibus fundamentalibus vel pactis se conformare debent, sua depromere possunt.

LX. Quæ nunc necessario sequuntur, sunt *Officia subditorum* erga imperantes, quæ tribus exposuisse juvabit: sunt autem illa sequentia:

LXI. *Superiorem ut sanctum & inviolabilem semper revereri*; neque gesta ejusdem in trutinam suæ rationis semper ponere.

LXII. *Leges, a superiori publicatas, strenue fervare*, & a norma præscripta ne latum quidem unguem discedere. Quia enim quilibet agnoscere potest, se vitam ex legem vivere non posse, & pro imperante validam militare præsumtionem de legibus ob salutem publicam & privatam latis; adhæc in se ipso esse facultatem & dispositionem ad obediendum legibus istis; Tenetur absque curiositate & tergiversatione stricte secundum illas incedere.

LXIII. *Lites suas ad superiorem deferre*, nec in propria causa judicis partes sibi sumere.

LXIV.

LXIV. *Pæna promeritæ & dictatæ se lubenter subjicere.*

LXV. *Pro salute gubernantis & securitate ejusdem nec sanguini nec bonis parcere.*

LXVI. Tribus, cum de omnibus subditorum officiis certæ quædam vel latæ jam sint leges, vel pro rerum statu ferantur, eadem sub uno complexu omnia possunt comprehendî, nimirum hocce:

LXVII. Subditum obligatum esse, omnem suam vitam componere ad regulam tam LL. naturalium & universalium, quam Positivarum & specialium, a suo Principali in bonura finem conditarum.

LXVIII. Sic itaque *nos fines dissertationis academica excedere nolentes*, pro instituto nostro in brevissimis thesibus exhibuimus Jus Naturale, circa quod id tantummodo adhuc explicandum, quod nos omnino satis prævideamus objectionem contra nostram regulam principii loco positam, ac si illa non posset dici principium J. N. cum contineat meras conclusiones ex aliquo principio fluentes: Ad quam tamen facile est, ut repouamus; Hoc quidem apparenter verum esse, scilicet secundum nudam verborum expositionem; sed non verum esse, si scilicet propositiones ad unam colligantur, quo facto nimirum satis evidens esse credimus, hanc unam inde emergere propositionem: *ita tuas institue actiones, ut felicitas humana per illas promoveatur.* Quod sub finem hujus opellæ dicere placuit, ut ut ex descriptione J. N. Cap. I. jam tradita, satis hæc nostra mens elucescat. Quibus accedit, quod nos omnino protestemur contra opinionem, ac si fines Theologiæ violaverimus; Credimus enim, quemlibet de nobis sufficientem habere persuasionem, quod nefas esse statuamus aliquam veritatem sacram vel directe vel indirecte offendere.

SOLI DEO GLORIA.

* * * * *
 * * * * *
 * * * * *

Wenn die Calmauserrey der Grund zum Glücke
 wäre/
 So hätte mancher Kloof es längstens hoch
 gebracht;

Hülff die Obscurität zu der geringsten Ehre/
 So würd die Fleder-Maus auch selbst zu was gemacht.
 Nein/ wahrlich wil es woll niemahlen was versangen/
 Daß in der Jugend man schon dunckle Augen führt/
 Und daß die Glieder selbst aus der Mensur gegangen/
 Weil man ganz sans facon stets vor sich grillisirt.
 Weg mit dem eitlen Wahn/ man muß zwar brav ku-
 diren/


Und nicht die edle Zeit verschwenderisch verthun;
 Doch auch zum Symbolo des interpone führen/
 Umb nach den Curis einst per gaudia zu ruhn.
 Dis meint die dumme Welt sey gänglich nicht zu leiden/
 Hierüber hebelt sie als wie bey dem Fincken-Block/
 Sie schilt; und sollte sich doch mit Vernunft bescheiden/
 Solch Plaudern schicke sich nur bey dem Spinnens
 Wock.


Und daß umb so vielmehr weil muntere Gemüther/
 Doch eben so geschwind zu Glück und Ehren gehn/
 Als solche andere beschmuhte Stuben-Hüter/
 Die oft bey dem Fenster mehr als den Pandecten stehn.
 Sehr werthgeschätzter Freund/ dis sey zum Ruhm
 geschrieben/
 Zu seinem edlen Ruhm; denn er lebt Regel-recht/
 Er

Er sucht mit sauren Schweiß / sich in dem Fleiß zu üben /
Doch nicht als wäre er auff seinen Stuhl gepecht.
Er fahre fleißig fort / so wird es ihm nicht fehlen /
Ein solcher muntre Geist ist alles Glückes wehrt ;
Wenn andre sich dereinst ümb Salz und Butter quäh-
len /
So hat der Höchste ihm ein fettes Guch besichert.


Uns schuldigster Ergebenheit gegen den Herrn
Respondenten setzte dieses Glückwünschend,
des Herrn PRÆSIDIS verbundenste

Tisch-Besellschaft.









cupationi proxime jungenda est *accessio*, quæ
m *accedente cultura* ut multiplicatio animalium,
& arborum, &c. quæ cedit alenti & colenti;
alluvio, quæ cedit proxime adjacenti, nisi ma-
quæ fisco, & ab alieno disrupta, quæ pristino
da. *Confusio*, quæ admittit geometricam di-
id idem de Insula in flumine nata & alveo de-
n. Vel *Artificialis*, ut *specificatio*, ubi præstan-
t vilius; *Edificatio*, quæ nullum jus acquirit in
ura & pictura, quæ tabulam & materiam adsci-
tio quæ nullum jus in solum facit, sed absque
tollenda eidem linquit &c.

ccedunt jam aliæ rem possidendi & de ea di-
es, veluti *Emphyteusis*, *superficies*, *feudum* & cer-
es, porro *Ususfructus vel quasi*, *Usus*, *Habita-*
igillatim agere, hic super sedemus, & Lecto-
ad Jur. Civ. Scriptores ubi omnia de illis me-
nte sanæ rationis & J. N. hausta satis sunt ex-

lis itaque perspectis, ducimur ad modos ac-
sequefter possidendi Dominium derivativos,
raliter *traditio & acceptatio* occurrunt, in omni
necessariæ, sive fiant proprie, sive per simili-
rius autem modus derivandi dominium præter

Testamentum, circa quod dubium ab aliqui-
rum sint Juris Naturæ? in præsentiarum non
ia illud specialem & amplam discussionem ex-

Moribus, sub certis quibusdam solennitatibus
tamentum, quæ ipsi plenum conciliant valo-
ultimarum voluntatum variæ species, quas
novit, quippe secundum quod ulterius pro-
quam quod posita ex Jure permissivo proprie-
hujus vel illius rei demortuo, proprietas ei
obve-